

S. F. N.

DISSERTATIO ACADEMICA,

De

PROVIDENTIA DEI
CIRCA
EXSTRUCTIONEM TEMPLO-
RUM SVIO-GOTHICORUM
ADMODUM CONSPICUA,

CUJUS PARTEM PRIOREM,

Consensu Ampliss. Fac. Phil. in Reg. ad Aaram Academia,

PRÆSIDE

M^{AG.} JOHANNE
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publico Examini submittit

STIPENDIARIUS REGIUS

CAROLUS FRID. BRUNBERG,
Sudermannia-Svecus.

In AUDIT. MAJORI. Die XXV. Junii MDCCCLXV.

Horis Ante Meridiem Solitis.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

S:Æ R:Æ MAJ:TS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
S. S. Theol. DOCTORI longe Celeberrimo, inclytæ Dioce-
seos Strengensensis EPISCOPO Eminentissimo, ejusdem Con-
sistorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, & Regii ibidem
Gymnasi Scholarumque per totam Dioecesin EPHORO
adcuratissimo,

REVERENDISSIMO DÓMINO,

JACOBO SERENIO, MÆCENATI MAXIMO,

QVEM.

Ob.

Maxima:

In. Ecclesiam. Patriam. Et. Litteras.

Præcipue.

In. Historiam. Svetia. Ecclesiasticam.
Merita.

Omnes. Et. Singuli. Suspiciunt.
HUIC.

Litterarum. Et. Litteratorum.

Magno. PROMOTORI. AC. PATRONO.
Exiguam. Hanc. Dissertationem. Academicam.
In.

Pignus. Devotissimi. Animi;
Dat. Dicat. Et. Consecrat.

Nec. Non.

Tenues. Suas. Spes. Commendat.

REVERENDISSIMI NOMINIS

eliens devotissimus
CAROLUS FRID. BRUNBERG.

KONGL. MAJ:TS
Tro-Tjenare, ÖFVERSTE-LIEUTENANT vid Dese Tavastehus
Regemente, samt RIDDARE af Kongl. Svärds-orden,
VÄLBORNE HERREN,

Herr CARL CONSTANTIN De CARNALL,

Jag borde med rätta låta, så väl Välborne Herr Öfverste-Lieutenantens och Riddarens Egen Fornäma Person, som dock Dese mångahanda vigtiga värf och göromål, färdeles vid dessa högtangelägna Riksvårdande tider, affräcka mig ifrån att framkomma med mitt ringa och ohöfsade Papperskram. Men den höga ynnst jag städse ärfarit ifrån första stund jag feck äran at blifva sedd af Välborne Herr Öfverste-Lieutenanten och Riddaren, och antogs til Dese enda välartade och allmänt älskade Herr Sons Handledare, drifver mig til denna djerfhet, och lemnar mig tillfälle at förklara til någon del mitt tacksmamma sinnes vördnadfulla rörelser. Genom Eder frikostighet, Nådige Herre, träder detta Academiska arbetet i dagsljuset, Eder tilskrifver jag all den upkomst, som jag kan framdeles häraf förvänta. Så stor min oförmögenhet är, at kunna alt sådant astjena, så brinnande äro de dageliga böner som til den Högsta Guden jag skal upfsända för Välborne Herr Öfverste-Lieutenantens och Riddarens Egen och Dese Fornäma Familles beständiga väl. Framhärdar med djapesta vördnad

VÄLBORNE HERR ÖFVERSTE LIEUTENANTENS
Och RIDDARENS

allerödmjukaste tjenare
CARL F. BRUNBERG.

KONGL. MAJ:TS

Tro-Tjenare och CAPITAINE vid Dese Lif-Dragone-
Regemente,

VÄLBOENE HERREN,

Herr BERNDT JOHAN
ENESCHIÖLDH,

Jag vördar innerligen en blid Försyn, som lätit mig blifva
fä känd af Välborne Herr Capitainen, at mig blifvit
anförtrodd Dese enda unga välartrade Herr Sons vård och
ikötsel. Alt detta anser jag billigt för uphofvet til all min
vidare fortkomst uti påbegynta studier, under mina svåra
och tryckande omständigheter. Utan Eder, min Höggunstige
Gynnares hjelp och undsättning, hade jag ännu til äfventyrs,
säföm förr, måst ligga qvar under vanmagt. Denna
ärtedda gunst, som jag aldrig til fullo kan abbörla, skal al-
tid blifva i friskt årkänslöfult minne, och för mitt ljusvaste
röje skal räknas, at dageligen anropa Himmelens HERRE,
om min Höggunstige Gynnares, med Dese Förnäma Familles
stadigvarande väl och fällhet.

Förblifver med djupesta vördnad

VÄLBOENE HERR CAPITAINENS

Ödmjukaste tjenare
CARL F. BRUNBERG.



PRÆFATIO.

Necidit proh! dolor ætas nostra in ea tempora, quibus illi etiam, qui propter ingenii atque judicij aciem commendari volunt, providam Summi Numinis curam non solum in dubium vocant, verum quoque errorem suum specioso rationum fuso apte incrustare nituntur. Quamvis autem hi ipsi videri velint, animos mortalium hoc placito confirmasse & a variis superstitionibus liberaste; re tamen ipsa & verum robur & justam tranquillitatem illis subducunt. Sicut enim planta beneficis radiis solaribus non fota, languida evadit, nec debitam viriditatem & consilientiam adtingit; ita quoque animus, gravissimis ceteroquin Philosophiae præceptis imbutus, nisi paternam DEI curam in se reflexam agnoscat, æquabilem vigorem nequaquam conservabit. Hujus vero sedula meditatio in secundis exultantes nostros affectus moderatur, & corda propter adversitatum moles evanida erigit atque exhilarat. Cum itaque hæc consideratio tot tantaque secum ferat commoda, ingenuum quemvis decet, luculentissima, quæ sese passim offerunt, bonitatis Divinæ vestigia attente legere, lectaque in suam convertere utilitatem. Est autem hoc opus admodum prolixum, cui rite explicando tenuis, qualis nostra est, industria haud

sufficit; quamobrem particulam ejusdem solummodo elegimus, breviter ostensuri, quam clare Divina se manifestaverit Providentia circa exstinctionem Temporum Svio-Gothicorum. A Te vero, B. L. in antecessum enixe roganus, velis, quæ Tua est æquanimitas, juveniles hosce conatus meliorem in partem interpretari.

§. I.

Antequam ad ipsum argumentum, cuius tractatio nem in nos suscepimus, enucleandum progedimur, juvat terminos, qui in frontispicio nostræ appellæ occurunt, pauca exponere. Per *Providentiam* itaque *Divinam* intelligimus Actum DEI ad extra, quo omnium rerum creatarum curam gerit, atque ad eorum actiones efficacissime concurrit, & ad bonum finem easdem dirigit. Per curam vero indigitamus studium, quod perfectioni alicujus Entis impenditur. Quamvis itaque *Providentia* & *Praevidentia*, si vocabulorum ortum solummodo respiciamus, synonyma plane sint, attamen ex consensu tam Theologorum, quam Philosophorum præstantissimorum, illa latius se extendit, vel, ut ita dicam, magis negotiosa est, quam hæc. Etenim cum *Praevidentia* simplicem rerum notitiam indigitat, *Providentia* res prævisas sollicite tovet. Hinc expendenda est vox *Templi*; unde vero hæc suos arcessat natales, de eo disputare solent Critici, *Templum a templando id est conspiciendo deducit VARRO* (*a*). Per *templa* autem veteres Romani intellexerunt certos cœli tractus, quos augures captandorum auspiciorum gratia lituo suo designabant.

A Var.

A Varrone dissentit SCALIGER, cui Græca vocabula hujus origo placet. Deduci enim posse vocabulum Templi vel a *τείχειν* secare, vel a *τειχίζειν* definire idem monet; adeoque templum significat locum ab aliis separatum & certis ita negotiis gerendis aptum. Diversas vero has opiniones, subtiles magis, quam utilles illis discutiendas relinquimus, qui nominum expiatione magnopere delectantur. Nobis sufficiat indicasse, quod per *Templum* intelligamus *ædem publicam, cultui Divino perficiendo destinatam.*

(a) Vid. Libr. VI, de Ling. Latin.

§. II.

Diximus modo, Templa esse ædes, cultui Divino consecratae. Cumque homo a Summo rerum omnium Conditore duas acceperit partes essentiales, animam scilicet & corpus; par omnino est, ut utraque reverentiam, quam DEo propter suam ab ipso dependentiam debet, testamat faciat; & proinde duplex merito constituitur cultus Divinus, *internus* & *externus*. Hi autem duo, si sibi constabunt, semper conjungentur, quod æque necessarium est, ac anima & corpus requiruntur ad constituendum integrum hominem. Consistit autem Cultus Internus in vera DEI cognitione, sincero Ejus amore, filiali timore, firma fiducia, ardente invocatione atque venerabunda gratiarum actione. Hujus itaque necessitatem nemo facile impugnabit, nisi qui pietatem & omnem sortis suæ sensum temere ejuravit. Externus vero cultus motu corporis aliisque signis, voce inprimis & gestibus absolvitur,

ad declarandam internam animi devotionem. Contra hunc cultum objicere forte quis posset, eundem ratione ipsius DEI esse minus necessarium, cum Ipse, sicut est omniscius, omnes cordium nostrorum plicas penitus scrutetur, & quid in absconditis pectorum recessibus fiat, sibi habeat perspectissimum. Et hoc quidem intuitu admitti utcunque potest illa opinio: interum tamen simul erit concedendum, quod cultus modo nominatus multum faciat ad manifestandam, quin & amplificandam Gloriam Divinam. Cum enim de occultis judicare nequeant mortales, sed ex factis ad animi indolem solummodo concludant; si plures egregiis actionibus atque supplicibus gestibus gratissimum DEO animum exhibeant, ceteri quoque, nisi eorum pridem occalluit conscientia, sensim ad pietatem exercendam ita commovebuntur. Præterea erit notandum, quod arctissimus ille, qui animam inter & corpus intercedit nexus, exigat, ut certas animæ perceptiones & affectiones certi etiam sequantur corporis motus: adeoque cultus internus æque sese prodit per externum, ac arbor per bonos, quos protrudit, fructus. Homines itaque a cultu externo avocare, idem est, ac gloriam Deo debitam obscurare & præclarę virtutum incentiva perverse suffocare. His ramen in medium prolatis nemo sibi persuadeat, cultum externum sufficere solum, siquidem nisi hic interno animetur, exsanguis evadit & in meram crassamque degenerat hypocrisin. Dividere insuper solent Eruditi cultum externum in privatum & publicum, quorum illius necessitatem haud operose admittunt, qui

qui hujus præstantiam acriter impugnant. His igitur antagonistis hoc loco erit obviam eundum. Est igitur cultus publicus plurium hominum conventus, statuto loco dictoque tempore eum in finem factus, ut concordibus animis, consonis linguis, supplicibus signis atque unitis viribus contendant ad peragendum cultum DEI sui tam internum, quam externum. Necessarius est hic cultus indoctis, quippe quibus admundum opportuna subministratur occasio solidam institutionem de DEO, summisque, quibus eminet, perfectionibus obtinendi, consolationem item in adversis percipiendi, nec non admonitiones & incitamenta ad officia sua rite præstanda colligendi. Nec doctioribus venia erit concedenda, si tempora locaque huic cultui dicata, præter fonticas causas spernant. His enim exercitiis partim animus illorum continuo in pietate confirmatur, qui alioquin sine his adminiculis facile heterosceret, partim quoque proba hac vivendi ratione alios, qui exemplis potius, quam præceptis, quantumvis gravibus moventur, ad virtutum studium excitabunt. Immuno nisi hoc fiat, simpliciores in erroneam istam facile induci possunt opinionem, quod vel superbiæ præstigiis fascinati innocentes hos conventus fugiant, vel etjam veritatem illius religionis, quam profiteri videntur, in dubium re ipsa vocent. Ipsa denique rei natura adfatum docet, cultum hunc in Templis optime peragi, quippe quæ sunt loca eum in finem separata. Hie enim nulli domestici strepitus nostram intervertunt attentionem, ædificij magnificentia, cærimoniarum decor & mæjtas affectus animi nostri continent

& ad Summum Numen velut dirigunt, ut plura alia
commoda sicco jam prætereamus pede.

§. III.

Cum itaque Templæ tantum, quantum modo vi-
dimus, ad conservandum cultum Numinis conducant,
minime erit mirandum, quod omnes fere gentes sua
habuerint delobra; in quibus sicuti DÆum inprimitis
præsentem esse crediderunt, ita quoque ibidem san-
ctissime esse colendum censuerunt. Talia quoque in-
de ab antiquissimis temporibus exstruenda curarunt
Scandiæ incolæ, inter quæ Templum Uplaliense adeo
celebratum tuit, ut fama ejus ad exterias etiam re-
giones transierit (...). Quocirca quæri posset: An Pro-
videntia DEi circa horum delubrorum exstructionem
fuerit conspicua, & quidem in aliquam civium utilita-
tem? Ægre admodum hoc concedent Eruditi, qui su-
perstitionem Atheismo longe perniciosiorem esse pro-
bare nituntur. Sicut autem ingenuus quisque lucu-
lentissima Bonitatis Divinæ vestigia ubique cernit, ita
nec dubitat, quin ex diës & dñs usus usus quidam ad
cives pervenerit. Per conventus enim, qui in tem-
plis placide fiebant, ad socialitatem magis magisque
formabantur homines, & per cultum hunc gentilium,
licet in se valde mancum, animi illorum exercitio
quarundam virtutum sensim adsuefiebant. Immo si
homines solitariam semper degissent vitam, pericu-
lum fuisset, ne Religio Christiana nunquam vel nimis
fero fuisset recepta. Nec sicco pede jam est præter-
eundum, quod nonnulla horum delubrorum in usus
Christianorum deinde opportune cesserint. Ante vero,
quam

quam novo cultui dicari possent, & Sacra Christiana illis invehi, necessarium duxerunt, ut igne probe expiarentur. Testem hujus rei habemus CAROLUM, Episcopum Arosensem, de Delubro Upsaliensi hoc modo differentem: MCXXXIIX SUERCHR I. jecit fundamenta Templi Cathedralis Upsalæ, & cum opere vetusto III. Deorum paganico ab YGEMUNDO igne purificato & sanctificato conjunxit (b). Sed ad hæc Tempa in præsente nostra dissertatione præcipue non attendimus, sed ad ea, quæ post exortam Christianæ Doctrinæ lucem tuerunt exstructa. Sicut igitur in primitiva Ecclesia pietatis alumni, ceu ad fatim docet Historia, nulla tempa per longum satis tempus habuerunt, sed modo in privatis fidelium ædibus, vel etiam in cœmiteriis & juxta sepultra beate demortuorum convenerunt, modo rursus cultum sacrum in occultis locis, antris videlicet & foveis subterraneis peregerunt, ut sic declinarent sævas illas persecutionum tempestates, quas in ipsos concitarunt Imperatores gentiles; ita probabile admodum est, quod primi in Scandia Christiani non autem fuerint ædes publicas sibi exstruere, sed in privatis domiciliis exercitia pietatis peregerint. Verum statim post recepram Christianam religionem, & quidem jam Sæculo IX. HERIGARIUS, urbis Bircensis Præfectus, ab ANSGARIO, una cum Rege BERONE ad dicta Sacra conversus primus in Svecia templum Christianum erigendum curavit (c). Similiter ad finem circiter Sæculi X. B. Sigfridus persuasit OLAVO SKOTTKONUNG, ut arcem Husabyensem in Vestro-Gothia in splendidam Basilicam & usus Ecclesia-

fasticos commutaret (d). Ita quæ sero apud nos recepta fuit Christiana Religio, post breves agitationes stabilem hic invenit sedem.

(a) *Vid. PERINGSHIÖLDII Monument. liller. P. I. Fl. I. C. 2.* (b)
confr. Eric. BENZELII M-nnum. Eccles. p. m. 20. (c) *Vid. OERN-
 HIELMI Hist. Ecc. p. m. 19. Rembert. in vitam Ansgarii Cap. 17.
 ita: Ibland them var Fogothen ther i Stadenom Byrkö---
 Han bygde genstan epter at han var döptor ena kirkio, up-
 på Sino egno Fäderne och tjente GUDi. (d) *Conf. Dissert.
 de Husaby.**

§. IV.

Quamvis autem nonnulla delubra, sicut modo vi-
 dimus, tempore introducti Christianismi conservata
 fuerint, pleraque tamen eorum penitus demolienda
 curarunt Sacerdotes, qui ad nostras appulerunt oras.
 In Dania præsertim facer hic vastandi servor ita My-
 stas hos occupavit, ut si WORMIUM (a) audiamus,
 nulla talium ædificiorum vestigia ibi amplius reperi-
 antur, qui tamen ardor in Svetbia & Norvegia tem-
 plia non ita delevit, ut non rudera eorum passim
 conspiciantur. Contra ea autem in lucis extirpan-
 dis atque in Lapidibus ita dictis Runicis commi-
 nuendis industriam suam masculine probarunt. Quid
 vero de hoc Doctorum istorum Zelo statuendum sit,
 ambigua est quæstio. Dicam illis propterea plerique
 scribunt Historici, in primis cum plurima, eademque
 præstantissima, monumenta temere ita perdiderint, at-
 que Hierarchiæ Pontificiæ, quæ optime viget, dum
 populi ignorantiae tenebris involvuntur, ferocia sua
 magis consuluerint, quam propagationi Religionis Chri-
 stia-

stianæ. Nec nos negamus, quin Doctores isti a pravis suis affectibus sese in transversum abripi non-nunquam passi sint; attamen in destructione horum delubrorum tempore hoc facta, Providentiam Divinam valde conspicuam deprehendimus. Quantam enim vim atque efficaciam in animos hominum habuerit cultus ille supersticiosus, cui devoti fuerunt, omnium fere temporum & locorum Historia abunde testatur. Et sicut hic cærimoniis præcipue constabat, & rebus tantum non omnibus quæ eum in finem adhibebantur, opinio Divinitatis prolixè tribuebatur; ita facile intelligitur, quod quamdiu religiosa ejusmodi monumenta in omnium oculis versabantur, nulla ferme spes superfuerit, ipsos ad aliam & meliorem doctrinam posse converti. Nihilo tamen minus concedendum, quod primi Doctores Christiani, qui huc accesserunt, minus rigidos sese præbuerint, nec majoribus omnia pristinæ religionis adminicula eripuerint; qua tamen facilitate factum est, ut hybrida quædam emerget religio, ex Sacris gentilium & Christianorum mixta (*b*), quæ in detrimentum Christianismi sensim invalescere potuit. Quod ne fieret, ipsa necessitas ceteris Christianæ doctrinæ præconibus injunxit vi detur, ut desperato malo heroicum quærerent remedium, atque magnifica illa ædificia, quæ continuam offendiculorum materiam præbere possent & progressum Christianismi impedire, funditus delerent. Quod etiam perfecerunt, licet hi ausus Antistitibus vita non-nunquam constiterint (*c*). Esto autem, quod Historia patriæ aliqualem ita passa sit jacturam, multum

tamen simul lucrati sunt, & quod perdidérunt, opí-
nione communi forte minus est. Cum enim Scandi-
navi tempore gentilismi litterarum non admodum pe-
riti fuerint, atque templis suis raro alia intulerint
monumenta, quam idola, crassa admodum manu fa-
bricata, probabiliter colligimus, Historiam illorum
temporum ex his imaginibus, si vel ad nostram per-
venissent memoriam, parum lucis accepisse. Sine æ-
gritudine itaque hisce tabulis jam caremus, præsertim
dum in memoriam nobis revocamus, quod Majores
nostrí cum hi⁹ meliorem Doctrinæ thesaurum sibi per-
mutaverint. En igitur dígitum DEI, qui pro eo,
quo genus humánum amplectitur amore parva dispen-
dia magnis sæpiissime compensat commodis.

- (a) *Vid. Monument. Danic. Libr. I. Cap. III.* (b) *Luculentus
hoc probat Nob. DALINUS in Histor. Patr. Tom. I. p. m. 5730.*
(c) *Vid. VASTOVIT Vit. Aquil. p. m. 26. & 27; aliosque passim
Antlores.*

§. V.

Dicat autem forte quispiam, destructionem delu-
brorum Svio-Gothieorum æquo utcunque ferri posse
animo, modo perverso gentilium cultui pura ac sin-
cera successisset Doctrina Christiana. Cum autem con-
stet, Pontifices Romanos jam tum Hierarchiæ suæ
fundamenta posuisse, adeoque veram Religionem Chri-
stianam imperiosis suis turpiter conspurcasse mandatis,
parum, ut multis videtur, hac Sacrorum mutatione
lucrati sunt Svio-Gothi. Ad quam objectionem sta-
tim observamus; quod minus malum in comparatio-
ne majoris pro bono haberí possit, adeoque licet am-
ba-

habus concedamus manibus, Religionem Romano-Catholicam, quam Majores acceperunt, gravissimis labo-
 rasse nœvis, nihilo tamen minus infinitis parasangis superabat superstitionum gentilium cultum, & proinde illa permuratio in lucro omnino erat habenda. Præ-
 gerea plura sunt, quæ svadent, religionem, quam Scan-
 diae incolis primi annunciarunt Antistites, licet non puram, non tamen tot vesanis figuris, quot hodie scatet, fuisse oppletam, quod plenius constabit, sive vitam horum Præconum, sive ipsorum dogmata con-
 siderare velimus. Scilicet Viri, qui in Ecclesiæ gre-
 mio commodam satis degebant vitam, hisce prærogati-
 vis sponte sua sæpe renuntiarunt, operoso itineri sese accinxerunt, nihil metuentes pericula, quæ contradic-
 centes inter gentem ferocem & superstitionibus dedi-
 tam manebant præsentissima. Quanta constantia ar-
 duum suum opus gesterint, vel exemplo constat ANS-
 GARI, qui *DEO*, ut profitebatur, *confisus, mori ma-*
luit, quam ab inceptis desistere (a). Nec ullam suspi-
 candi rationem habemus, quod studio majorum opum congerendarum tantas subierint molestias. Contulerunt enim sese ad populum, qui longinquis expeditionibus non lauta spolia, sed gloriam solummodo rerum for-
 titer & feliciter gestarum quærebat, & a quo præ-
 stantia arma, auro contra & argento cariora, habeban-
 tur, adeoque spes lucri hic nulla fuit. Quibus acce-
 dit, quod opes, quas secum huc advexerunt, ad de-
 vinciendos sibi incolarum animos adhibuerint, easdem
 que in publicos usus haud inviti impenderint. Nec
 primi hi Doctores, de quibus jam loquimur, scepta

pedo suo subjicere arroganter tentabant, nec sacris eorum initiandos tam tormentis quam argumentis ad suam perducebant religionem, sanguinolentum illum alios convertendi modum, ut videtur, exosi, qui sequoribus saeculis in ruinam & dedecus generis humani immane quantum invaluit. Denique in dogmatibus tradendis, simplicitati studuerunt, & ea, quæ Pontificum Romanorum avaritia & dominandi libido excogitaverant, vel celarunt, ratione status ejusmodi prudentiam impræsentiarum exigente, vel parcus saltem divulgarunt. Quamobrem ADAMUS BREMENSIS de primis Christianæ Doctrinæ apud nos prædicatoribus testatur, quod curam rei sue familiaris aliquis commiserint, ut Scientia fidei & operum disciplina Succos & Danos, suo ipsorum ministerio magis auspicato ædificarent. Cui adsentit Nob. OERNHIELM: Pri-
mi, inquit, qui hoc venerunt docturi pietatem, alienissimi erant a studio colligendarum opum, ne viderentur plus amare gentis pecunias, quam animas; itaque A.N.S.
GARIUS, quos hoc misit, Sacerdotes sollicite monuit, ne quid agerent cupide, ne quid avare (b). Ex quibus jam liquido constat, negotiosam omnino fuisse Divinam Providentiam in Majorum nostrorum commodis promovendis.

(a) Vid. DALINI Hist. Pat. Tom. cit. p. m. 515. (b) Vid. Hist. Eccl. Libr. I. Cap. 10. §. 82.

§. VI.

Quo tenuiora sunt rerum quarumvis principia, & quo majoris tamen momenti atque ab humana potentia longius remotæ sunt ipsæ res, quæ per eadem obtinen-
tur,

etur; eo etiam firmiora nobis suppeditantur argumenta Providentiam DEI agnoscendi, qui in minimis saepissime sese maximum praebet. Valet hoc in primis de Templorum Svio-Gothicorum exstructione, adeo ut si plerorumque horum magnificentiam cum facultatibus hominum isto ævo conferamus, mirum omnino est, quod tanta opera tunc confidere potuerint. Requierebant enim hæc & durissimos labores & ingentes sumtus. Enimvero laborabant Scandinavi circa initia Christianismi magna pecuniarum inopia, sicut vel inde dilucide apparet, quod paucis argenti frustulis viljas atque prædia sibi comparare potuerint incolæ. Conductions itaque & locationes in hoc rerum articulo, deficiente velut anima mutui commercii, difficiles supra quam dici potest fuerunt; & proinde opera quævis egregia in ipso eorum primordio suppressa fuissent, nisi languentes artes ingens supplevisset Zelus. Eric autem hæc res paulo altius repetenda. Majores nostri sicut ab antiquissimis retro temporibus de immortalitate animæ & de vita post hanc meliori satis superque fuerunt convicti; ita quoque nulli pepercérunt operæ, ut felicitatis hujus compotes evaderent. Quot quantasque subierint molestias, & quam libenter in præliorum & mortis evidentissima discrimina sese concererint, ut tanquam grati hospites in splendidam & omnium rerum copia abundantem Othini aulam admitterentur, Auctores passim testantur. Unde etiam de Arctois populis ita cecinit LUCANUS (c):

ille timorum
Maximus, haud urget leti metus: inde ruendi

*In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis; & ignavum est, rediure parcere vita.*

Postquam Doctrina Christiana in Septemtrionem fuit
introducta, dogma illud de meliori vitæ conditione
etiam fuit retentum, sed ita tamen mutatum, ut eum
gentiles crederent, se cœlestè gaudium propter fortia
facta atque eximia in Patriam merita obtenturos;
primi apud nos Christiani perversa opinione delinie-
bantur, quod salutem æternam consequerentur pro-
pter beneficia in Monachos præsertim & in res ad
cultum Divinum pertinentes collata. Immo bonis o-
peribus tantum hac tempestate constitutum fuit præ-
cium, ut feeda vitiorum quorumlibet mancipia non
solum facilem obrinuerint peccatorum remissionem,
verum etjam in Sanctorum numerum nonnunquam
relata fuerint, modo vel templa exstruerent atque or-
narent, vel Monachorum crumenas circa vitæ exi-
tum grandi summa distenderent. Pia hac, ut ipsis vi-
debatur, fraude opes civium quotannis emungeban-
tur, & per nundinas has Ecclesiasticas, quantum sin-
cera passa est Religio, tantum lucrata sunt Templa.
Hinc quoque æmulatio sacras ædes exstruendi per duo
prima Christianismi saecula adeo apud Sviogothos in-
valuit, ut si STURLONIDEM audiamus, in sola
Westro-Gothia, cuius cives Christianismo recipiendo
satis erant proelives, mille & centum jam tunc re-
perirentur templa. Ita enim ille: *Svia welldi liggur
i mórgum lutum; Eirn luti er Westur-Gaulland oc
Warmaland oc Markir, oc that er thar liggur til, oc
er that swa mikit riki, at undir theim Biskapi er thar*

er yfir, ero elleſu Hundrath Kyrkna; id est: Svetia in plures partes est divisa. Unam earum constituit Westro-Gothia, una cum Wermelandia, Marchia & aliis adjacentibus terris, quæ tantæ est amplitudinis, ut qui bis præest Episcopus, millesas centumque Ecclesiæ moderandas habeat (b). Quem quidem numerum in dubium vocat Nob. DALIN, dum toto tempore, quo Sacra Romana hic floruerunt, in Svetia & Finlandia non plura, quam MCXCII, computatis vero Scania, Hallandia & Blekingia, MDCCCVII tempia exstructa fuisse perhibet (c). Enimvero cum modo citatus STURLONIDES significet ceteras quoque provincias quas nominatim recenset, suis gavilas fuisse Episcopis, quibus plurimæ paruerunt Ecclesiæ, numerus ædiorum Sacrarum jam ab ipso indicatus, soli Westro-Gothiæ erit vindicandus. Quocirca tamen erit admissendum, non solum tempia sed etiam oratoria & capellas hoc numero fuisse comprehensas.

(a) Vid. Pbarsal. Libr. I. (b) Vid. Heims Kringta Tom. I. p. m. 477. (c) onfr. Eiusdem Histor. Patr. Tome II. p. m. 16.

§. VII.

Meditationi in paragrapho antecedenti allatae jutat adhuc paullulum immorari, ut de Providentia DEI circa Templorum nostrorum exstructionem certiores reddamus. Introducta igitur sanctissima Religione Evangelica, portentosa simul figura, quibus Romano-Catholici entheam Christi doctrinam adsperserant, penitus rejecta fuerunt & abrogata. Bona quidem opera jam requirebantur a Christianis, non tamen ista lactabantur opinione, quod per eadem æter-

ternam salutem promereri, aut propter munera in ædes sacras profusa condonationem vitiorum & impunitatem quorumvis peccatorum consequi possent; qua re vefanus ille templo ædificandi Enthusiasmus sensim deferuit. His addamus statum imperii nostri, qualis tempore felicis Ecclesiæ Reformationis & glorioſiſſimæ memoriæ Rege GUSTAVO I. susceptæ, fuit, fane maxime perturbatum & afflictum, cogitemus etiam, cives continuis fere vexationibus opes suas amississe, quibus spoliis fiscum Pontificalem immane quantum auferant vultures cucullati; & facile concedemus, quod in hoc rerum statu templis ædificandis minus sufficerent Svio-Gothi, quantumvis necessaria fuerint ad veram Religionem propagandam. Tanto malo Sapientiſſimum Numen pro ea, qua nostræ felicitati invigilat, cura e longinquo medellam paraverat, per ædes Sacras jam ante magno zelo exstructas. Quam lente, niſi hoc factum fuisset, processiſſent templorum incrementa, experientia quemlibet ſatis condocet. Quis enim ignorat, quod si templum nostro ævo dampnum quoddam majoris momenti subinde patiatur, plures requirantur anni, priusquam tanta colligi potest pecuniarum ſumma, quanta eidem refiendio ſufficiat. Unde sequitur, quod ſicut Basilicarum exstructio pro praefenti mortalium indeole, in multis regionibus impossibilis fere foret, ita quoque mirari convenit, unde Majores nostri tantos fecerint reditus, quantos postulant magnifica & plurima ab illis brevissimo tempore exstructa templa, quibus hodie fruimur & quorum numerum ſequenti ævo minuimus potius, quam auximus. Certe quo minor industriae humanae hic relictus videtur locus, eo magis venerari debemus Providentiam Divinam circa exſtructionem Templorum noſtrorum valde conſpicuam.

